

*avaritiam. Avaritia porro hominem ad quodvis maleficium impellit. Igitur avaritia inducti adversarii nostri hoc in se facinus admiserunt. Hic id, quod extremum dictum est, satis fuit exponere, ne Ennium et ceteros poëtas imitemur, quibus hoc modo loqui concessum est:*

Utinam ne in nemore Pelio securibus

Caesa accidisset abjegna ad terram trabes:

Neve inde navis inchoandae exordium

Coepisset, quae nunc nominatur nomine

Argo, qua Argivi, mille delecti viri,

Vecti petebant pellem inauratam arietis,

Colchis, imperio regis Peliae per dolum:

Nam nunquam hera errans mea, domo efferrêt pedem

Medea, animo aegra, amore saevo saucia.

Nam hic satis erat dicere (si id, modo quod esset satis, curasset poëta)

Utinam ne hera errans mea, domo efferret pedem Medea.

Cap. XXIII. *Ratio vitiosa est, quae ad expositionem non est accommodata, vel propter infirmitatem, vel propter vanitatem.*

*Vana ratio est, quae ex falsa causa constat, hoc modo: Amor fugiendus non est; nam ex eo verissima nascitur amicitia. Aut hoc modo: Philosophia vitanda est; affert enim socordiam atque desidiam. Nam hae rationes nisi falsae essent, expositiones quoque earum veras esse confiteremur.*

*Infirma ratio est, quae non necessario ostendit ita esse, quemadmodum expositum est; velut apud Plautum:*

Amicum castigare ob meritam noxiam,

Immune est facinus; verum in aetate utile

Et conducibile.

*Haec expositio est. Videamus, quae ratio afferatur:*

Nam ego amicum hodie meum

Concastigabo pro commerita noxia.